

, esse verum verborum Apostoli sensum, tam ex ipso orationis  
 „contextu, quam ex fidei & Scripturarum analogia, ipsarumq;  
 „rerum natura, liquido patere, & validissime probari potest  
 Quibus argumentis ad hoc probandum postea allatis, concludit  
 „p. 633. Atque hæc omnia & singula abunde probant, electio-  
 „nem in Christo non esse factam ante foundationem mundi pro-  
 „pter prævisam fidem aut bona apera sed ex mera Dei *inchoata*  
 „omnesque omnino benedictiones spirituales atque adeo & fidem  
 „ac bona opera inde tanquam ex fonte vi meriti Christi, per ef-  
 „ficaciam Spiritus Sancti operationem ad electos dimanare, &  
 „esse mere gratuita dona præter & contra omne meritum in ele-  
 „ctos collata.

§. IV. In quo quidem, quod fidem causæ meritorix ratio-  
 nem ad electionem habere negat, nobis non adversatur, qui ne-  
 quaquam fidem in Christum, sed solum Christi meritum causam  
 meritoriam electionis esse affirmamus. Solum enim Christi me-  
 ritum ea dignitate pollere, qua Deum ut causa meritoria ad ele-  
 ctionem impulerit, constanter asserimus. At quia Deus à Chri-  
 sti merito impulsus neminem elegit, nisi eum, quem fide finali  
 apprehensurum vidit Christi meritum, causam impulsivam exter-  
 nam completam electionis dicimus Christi meritum fide finali ap-  
 prehensum. Hoc igitur inter utriusque causalitatem discrimen  
 constituimus, ut solum quidem Christi meritum causa impulsiva  
 meritoria Electionis sit, fides autem in Christi meritum exinde cau-  
 sa dicatur impulsiva Electionis, quia Deum impulit, ut, eos qui-  
 bus in æterno decreto suo Christi meritum, dum hoc istos finali fide  
 amplexuros prævidit, finaliter applicavit, propter illud ipsis appli-  
 catum elegerit. Hinc ut à Christi meriti ad Electionem causali-  
 tate fidei ad eandem causalitas tanto evidentius discerni queat, in  
 relatione ad Christi meritum, tanquam Electionis causam impulsivam  
 principalem, fidem causam impulsivam Electionis, cum addito,  
 minus principalem appellare summi Theologi non verentur. Quan-  
 doquidem vero Røellius fidem non posse ullomodo causam impulsivam  
 yam